co *artem* cum *Hein. Corn. Agrippa lib.* de *vanitate & incert. ſcientiarum cap. 29. p. m. 79.* Architecturæ quoque ait, ſubeſt *ars metallica, ars revera, non modici ingenii.* Id quod *Bæclerus Inſtit. Polit. p. 216.* confirmat: Metallis colligendis & eruendis, ſcribit, natura viam oſtendit: *neque vulgari* tamen *arte* & *peritia* opus eſt in *re metallica* tractanda. Etenim illa primum (*pergit Agrippa*) ex telluris montiumqꝫ ſuperficie, qvæ qvoqve loco venæ intus ſitæ ſint, qvæ illarum extenſiones, exitus, fibræ, cognoſcere docet, & qvomodo excavatis terræ viſceribus montium moles ſuperſtruendæ ſint. Porro, qvemadmodum ex erutis minerarum lapidibus, ignis liqvamine pura metalla excoqvantur, eaqve ſi mixta ſint, â ſe invicem diſcernantur, aut nulli aut pauciſſimi hactenus integrè tradiderunt; forte, qvod *Ars* hæc veluti *mechanica* & ſervilis â doctis qvibusqve & liberis ingeniis deſpecta ſit. In qvibus poſtremis verbis *Auctor* de temporibus ſuis loqvitur, nam hodiè etiam eruditi nobiliſſimiqve viri hujus artis periti ſunt. Interim illud veriſſimum, qvod *non ſit ars ſubtilis*, aut liberalis, *ſed mechanicæ* ſimilis, qvæ circa materiam craſſam verſatur. Porrò *differentia* petitur â qvatuor cauſarum generibus, *efficiente, materia, forma & fine*. De qvibus *Pars tractationis altera*, certis capitibus nunc aget uberius.

PARTIS SPECIALIS.

CAPUT I.

De Hermündurorum Metallurgiæ argentariæ cauſa efficiente.

SUMMARIA.

Cauſa efficiens §. 1. *non eſt una. Principalis* §. 2. *eſt Princeps Hermundurorum, qui Jus circa argenti fodinas habet, cujus Juris alterum ſaltim caput* §. 3 *hic declaratur, qvod eſt poteſtas condendi leges circa rem metallicam, ubi* §. 4 *liberalitas ſereniß. Electoris variis κεφαλαίοις commendatur. Hinc Conſtitutionum* §. 5. *adminiſtratores antiqvi &* §. 6. *recentiores, qvi in majores & minores diſtingvuntur: Illi* §. 7 *Judicium metallicum ſuperius Freibergæ conſtituunt, quod* §. 8. *diſtingvitur á præfectura decimarum* von Zehenden Ambt / *non*